

clesia vocatus Imperator, ad postulationem ut dicebatur Venetorum, recessit a domo causa eundi Romam pro Imperiali corona. Cumque venisset per Forumjulum, Patriarcha Nicolaus ejus frater etiam recessit a Patria Forijulii, necnon multi Nobiles, inter quos fuerunt Valterpertoldus de Spilimbergo, D. Franciscus de Savorgnano, D. Paganus de Savorgnano, & D. Gerardus de Carnea, & multi alii Nobiles de Patria. Excelsa Domina Imperatrix, conjux dicti D. Caroli Regis Romanorum, hospitata fuit in castro Dominorum de Spilimbergo die XX. Januarii anno M. CCC. LV. Die V. Aprilis praedictus D. Carolus una cum Domina sua per manum Domini Cardinalis Hostiensis in Ecclesia S. Petri de Roma, qui D. Cardinalis ab Innocentio Papa fuit legatus, cum solemnitatibus & cum gudio fuit cum Imperiali diademe coronatus. Qui Serenissimus D. Imperator super pontem Tiberis multos creavit milites, inter quos fuit D. Valterpertoldus de Spilimbergo, qui fuit quartus de primis militibus creatus, & primus Patria Forijulii. Post vero ipsius creationem per ordinem fuerunt ab eodem Imperatore creati nobiles Viri Ludovicus de Cucanea, Franciscus & Paganus de Savorgnano. Post eorum creationem sequentes ultra mille quinquaginta creati fuerunt, & reversi sunt cum gaudio & exultatione. In M. CCC. LVIII. die tercia exeunte Julio dictus D. Patriarcha Nicolaus de hoc seculo migravit in civitate Belluni, & ingressus est semitam universæ carnis. Deinde portatum fuit Utinum ejus corpus; & in Ecclesia Majori Utinensi ante altare majus, ubi Presbyter tenet pedes, quando dicit confessionem, sub lapide marmoreo humi positum est.

Ludovicus de la Turre de Milano Patriarcha sedid annis VI. mensibus II. diebus XIX. Qui creatus fuit Patriarcha M. CCC. LIX. Item anno M. CCC. LXI. die XX. Martii illi de S. Daniele furiati fuerunt castrum inferioris Varmi D. Dethalmo de Utino affini Dominorum de Spilimbergo: propter quod D. Patriarcha voluit procedere ad restitutionem faciendam, sicut in generali colloquio fuit declaratum. D. Valterpertoldus, & Henricus frater de Spilimbergo irati cum Domino Patriarcha combusserunt Gaium & Vacilum. Item praedictus D. Patriarcha Ludovicus misit gentes suas ad damnificandum Dominos de Spilimbergo, & cùcurren[t] ad villam Barbani pro comburendo: & ipso die mortuus fuit quidam familiaris D. Patriarchæ, & vulnerati aliqui, & deinde fuerunt ad S. Danielem. In eodem Millesimo die XIII. Augusti applicuerunt DCCC. homines armigeri in Forojulio apud Villam-novam prope castrum Carpaci, quos D. Dux Rodulphus Austria miserat ante se ad damnificandum Patriam Forijulii apud Villam-novam prope Carpacum; pro eoquod illi de Glemona & de Prampergo acceperunt Sclusatam, & damnificaverunt Venzonem; & quia mercatores Domini Ducas per illos de Prampergo, de Civitate, & de S. Daniele derobati fuerunt, & non siebat eis restitutio bonorum ablitorum. Eodem Millesimo XVI. Augusti dictæ gentes cucurrerunt ad S. Danielem: & Domini de Spilimbergo, & de Ragonea, & Portu-Naonis, & de Prata fuerunt cum eis, & ibi steterunt diebus XV. & combusserunt villam S. Danielis & ruinaverunt; & deinde recesserunt, & iverunt Turridam, & ibi steterunt diebus VII. & data fuit eis Cortina Se-dejani & Gradisca cum pactis, quod homines & bona eorum essent salvi & salva. Eodem Millesimo die XXIX. Augusti Domini Ducas Austria, D. Rodulphus, & Federicus applicuere Goritiam

cum magna comitiva numero quatuor millia equitum: & deinde venerunt Manzanum, & acceperrunt eum, & Budrium cum pactis. Et tunc Abbas Rosagensis juravit & stetit cum dictis Ducibus. Et venerunt ante Utinum, & ibi steterunt dies IV. Et die XII. Septembris fuerunt facta p[acta] inter Dominos Duces, & Dominum Patriarcham Ludovicum: videlicet, quod ipse D. Patriarcha cum XII. illorum Nobilium Forijulii, quos Duces vellent eligere, ire deberent in Viennam; & ibi expectare Duces, & deinde ire ad D. Carolum Imperatorem: & in eum, & in D. Rodulphum compromittere, & obedire sicut definirent. Et illis diebus mortuus est Marchio Brandenburgensis in domo sua. Et illis diebus D. Dux Federicus accepit iter suum versus Viennam, & D. Patriarcha post eum: & antequam irent, D. Comes Goritiae dedit unam de suis filiabus in uxore eidem Fratri D. Ducas Austriae. Et deinde D. Rodulphus accepit iter suum versus Venetias; & in die vel in festo S. Michaelis applicuit Venetias, & ei factus fuit maximus honor per Venetos, & ibi mansit diebus VII. Die vero VIII. Octobris idem D. Dux accepit iter suum versus Goritiam: & cum ipse applicuerit in Forojulio, stetit duobus diebus; & tunc D. Franciscus Savorgnanus, & D. Simon de Valvasono præcedendo Duce, secuti sunt D. Patriarcham, & applicuerunt in Viennam D. Patriarcha cum suis. Et D. Franciscus Savorgnanus, & D. Simon de Valvasono juraverunt coram Duce de non rece-dendo Vienna sine voluntate præfati Domini Ducas. Anno Domini M. CCC. LXII. die II. Martii Communitas Utini, Communitas Civitatis Austriae, Communitas Glemonæ cucurrerunt ante Manzanum, & acceperunt eum per ignem per eos im-positionem. Deinde cucurrerunt Budrium, quod pro-jecterunt per terram: & ipsis diebus cucurrerunt ad Cormons, & combusserunt aliquas domos; & de iis fuerunt multi vulnerati, & mortui, & in illis diebus acceperunt cum pacto Cortinam Quadrivii & Rivolti. Et post paucos dies reversi sunt D. Franciscus de Savorgnano, & D. Simon de Valvasono in Forojulio, qui clam recesserunt de Vienna, quos Dominus Dux volebat mori facere: ideo absque licentia recesserunt.

Marquardus Patriarcha almificus sedid annis XV. nobilis genere, sed nobilior mente. Ab Imperatore Carolo plurima privilegia obtinuit; & cum dicto Domino Imperatore ligam fecit, ac etiam cum Januensibus contra Venetos: & comburere fecit Caprulas, & posuit eas ad Saccomannum. Et in M. CCC. LXXXI. mortuus est, & in hoc anno incepit schisma. Et mortuus est D. Carolus Imperator, & electus D. Clemens de Bavaria: & fuit schisma inter filios D. Caroli, & illum de Bavaria, & fuerunt duo electi.

Philippus de Lanconio Cardinalis fuit electus Patriarcha per Papam, & dedit sibi Patriarchatum in commendam. Et Utinenses cum aliquibus Nobilebus noluerunt eum in Patriarcham per commendam; propter quod D. Franciscus de Carraria cum magna comitiva venit in subsidium ipsius D. Philippi: & Utinenses acceperunt auxilium & gentes a Serenissimo Dominio Venetorum; & magna guerra fuit in Patria illis temporibus. Et fuit captum castrum Savorgnani per ipsum D. Franciscum de Carraria. Tandem geates ipsius D. Francisci de Carraria fuerunt ruptæ prope Savorgnatum per illos de Utino cum gentibus Venetorum. Et erat in Utino unus Nobilis pro Venetis, videlicet D. Leonardus Zana. Et duravit guerra quasi annos sex. Postea dictus D. Philippus mor-tuus